

mentum, non poterant decidere nisi dividendo cœlum, quod est ponere miraculum sine necessitate. Et præterea opus esset alio miraculo, ut Deus acceleraret motum illius aquæ, ut perveniret ad terram, quia tanta distantia est a firmamento cœli usque ad terram, ut non possit aliquando quod grave est inde descendere, nisi multis diebus aut etiam annis. Unde cum in articulo illius diei, quo ingressus est Noe in arca incœperit pluvia, et ruptæ sint cataractæ cœli, multos annos deberet expectare Noe pro diluvio, ut illa aqua caderet a firmamento, nisi Deus ejus motum acceleraret per miraculum.

XII. Fundamentum oppositæ sententiæ facillime explicatur. Sumitur enim ex Scriptura sæpius dicente, quod aquæ sunt super cœlos, sicut Psal. ciii: *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus*: Psal. cxlviii: *Laudate eum cœli cœlorum, et aquæ omnes quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini*: et in hymno trium puerorum Danielis iii: *Benedicite aquæ omnes quæ super cœlos sunt Domino*. Ubi omnes creaturæ suo ordine referuntur, incipiendo a superioribus, et prius ponuntur illæ aquæ, quam sol, et luna, ergo supra cœlos sidereos sunt. Et si qui alii loci Scripturæ sunt, ad istos reducuntur. Confirmatur, quia sic explicant aquas illas supra cœlos multi sanctorum patrum, Hilarius in Psal. cxxxv; Basilius homilia iii hexameron; Chrysostomus, homilia iv in Genesim, et super Psalmum cxlviii; Ambrosius, lib. ii. hexameron, cap. iii; Hieronymus epistola lxxxiii. ad Oceanum; Epiphanius, in epistola ad Joannem Hierosolymitanum, de erroribus Origenis; Anselmus, lib. de imagine mundi, cap. xxv et xxviii; Hugo de S. Victore, lib. i de Sacramentis, p. i, cap. xvii, et adnotationibus in Gene-

sim, cap. vi; Rupertus, in Genesim, cap. xxiii, et sequentibus; Josephus i antiquitatibus, cap. i, vel ii, et alii.

XIII. Respondetur loca Scripturæ in tota proprietate litterali, et sine ulla violentia litteræ, intelligi de aquis nubium, quæ etiam sunt aquæ cœli, eo modo quo aer etiam cœlum appellatur in Scripturis, et sic loquuntur de cœlo aereo, non sidereo, seu generaliter de omnibus aquis in sublime elevatis in quo maxime ostenditur Dei potentia. Vel unico verbo loquuntur de eodem cœlo, de quo in hoc capite primo Genesim, in quo dicimus firmamentum hoc esse firmamentum aereum, seu nubium, de quo dicitur Job xxvi: *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum*: Psal. cxlvi: *Qui operit cœlum nubibus*: Jeremiæ li: *Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cœlo*. Et communiter in Scriptura constat vocari rorem cœli, et pluviam atque irrigationem de cœlo; quod utique cœlum, aer superior est. Cum ergo dicitur: *Extendens cœlum sicut pellem*, de expansione aeris qua nubes cogit, et expandit tamquam velum, intelligitur. Et cum addit: *Qui tegis aquis superiora ejus*, optime intelligitur, quod aquis nubium interpositis teguntur respectu nostri superiora ejus, id est, ipsimet cœli qui superiores aere sunt. Unde sequitur: *Qui ponis nubem ascensum tuum*; ut constet loqui de aquis nubium. Similiter cum dicitur: *Aquæ omnes quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini* et: *Benedicite aquæ omnes quæ super cœlos sunt Dominum*, in primis non dicit aquas istas esse super ipsos cœlos cœlorum, sed tantum super cœlos, qui utique intelliguntur de cœlis aereis. Et dicuntur cœli in plurali, quia in Hebræo nomen cœli, id est, schammaim, caret singulari. Quod vero ordine quodam

creaturæ numerentur, et prius ponantur illæ aquæ, quam sol et luna, nullam vim facit, nam aliquando ponuntur ante solem et lunam, ut in hymno trium puerorum, aliquando post, ut in Psal. cxlviii. Et veritas est, quod ponuntur eo ordine quo in libro Genesim positum est opus distinctionis hujus, scilicet secunda die, quæ fuit post solem, et lucem factam, sed ante solem ornatum quarta die. Unde aliquando ponuntur ante solem, aliquando post.

XIV. Ad confirmationem respondetur, patres si quando insinuant illam sententiam, non esse cum exclusionem nostræ, non ex professo disputando rem, non plene asserendo, non explicando specialiter de quo cœlo loquantur, sed generatim dicendo aquas esse super cœlos; aut dicunt non recte impugnari ex eo quod aquæ supra rotunditatem cœli non possint sustineri. Hilarius solum dicit sic: « Aquis elevatis illam ipsam primi cœli naturam temperavit, quæ superni Dei accensa virtute nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis. Cœlum vero inferius, non uniforme, sed multiplex tetendit; quod totum firmamentum nuncupans, valida ad sustentationem aquarum superiorum, temperationemque aeris nostri firmitate solidavit. » Ubi potius illud cœlum quod firmamentum nuncupavit Deus, ad aerem videtur referre. Basilius, homilia illa tertia in primis impugnat eos qui dicebant non posse aquas esse supra firmamentum, quia globosum est, et aquæ fluidæ sunt. Deinde, inquirens de natura firmamenti hujus, qualis sit, docet non esse solidum sicut crystallum, vel lapis, sed dici firmum quia est idoneum ad detinendas, et coercendas aquas quæ facile dilabuntur. Et tandem concludi: « Firmamentum, aut ex uno simplicium corporum, aut ex omnibus mixtum esse. » Et infra

dicit: « Ejus naturam esse tenuem admodum, et raram. » Unde videtur inclinari in hoc quod sit aer, nam cœlum est solidissimum quasi ex ære fusum, ut dicitur Job xxxvii. Nunquam tamen resolute dicit hoc firmamentum esse æthereum; S. Chrysostomus, homilia iv in Genesim nihil dicit contra nos, sed inquirens quid sit illud firmamentum, inquit: « Quod si quis dicat esse aquam addensatam, vel aerem constratum, vel aliam aliquam essentiam, haud quis prudentium hoc temere asseveravit? » Ubi nihil vult definire pro una, vel altera parte. At vero super Psal. cxlviii solum dicit: « Ex aquis quidem Deum has reliquisse inferius, illas vero effecisse stare sublimes super terga cœlestia, cum in medio abyssi firmamentum stabilisset. » Ubi nihil etiam determinat super hac questione, sed solum vocat terga cœlestia id super quod sunt aquæ, quod de cœlo aereo potest intelligi. Ambrosius libro ii in hexameron, cap. iii, solum disputat contra illos qui dicebant aquas non posse esse super cœlos, quia globosæ figuræ sunt, aquæ vero fluidæ; non tamen determinate explicat de quo cœlo loquatur Scriptura, aereo, an sidereo. Quin potius, capite iv satis insinuat hoc firmamentum esse aereum. Hieronymus in epistola lxxxiii solum dicit: « Firmamentum inter cœlum, et terram medium construi et quod juxta Hebraici sermonis etymologiam ex aquis sortitur vocabulum, scilicet schammaim quod est expansio. » Ubi potius nostram sententiam insinuat, quia dicit firmamentum construi inter cœlum et terram, ergo est aer. Epiphanius probat in illa epistola non recte dixisse Origenem quod aquæ quæ sunt super cœlos sunt spirituales virtutes, cum dicat Scriptura ruptas esse cataractas cœli, et factum esse dilu-

vium, quod non nisi aquis veris, et corporalibus fieri potuit. An vero istæ aquæ sunt super cælum sidereum, vel aereum nihil dicit. Anselmus non potest recte citari in libro de imagine mundi, cum ille liber non sit Anselmi, sed mille scateat erroribus. Unde et in indice expurgatorio expunctus est, et iussus est caute legi. Hugo de S. Victore non plene determinat quodnam sit illud corpus, quod vocatur firmamentum, et cujus naturæ sit, et sic ex ejus sententia non potest argumentum deduci. Rupertus favet etiam nostræ sententiæ dum dicit: « Firmamentum non solidum quid aut durum est, ut vulgo putatur, sed aer extensus, et subtilizatus, quia licet solidum corpus non sit, Scriptura illud firmamentum vocat, eo quod dividat aquas ab aquis. » Quæ verba refert Suarez libro II, cap. V, num. XIV. De Josepho non est multum curandum, quia Judæus fuit Christianus, et traditiones, vel fabulas Judæorum, aliaque minus probata, quandoque sequitur. Itaque vix est aliquid solidum ex patribus quod pro hoc parte contra nos afferri possit.

QUÆ SINT AQUÆ SUPER FIRMAMENTUM,
ET QUID IPSUM FIRMAMENTUM.

XV. In primis pro certo statuendum est, nomine aquarum supra firmamentum non intelligere Scripturam litteraliter aliquas spirituales substantias, seu virtutes, ut sentit Origenes homilia prima in Genesim, contra quem agit S. Epiphanius supra citatus. Et licet hoc ipsum insinuet S. Augustinus, libro XIII confessionum, cap. XV et XXXII, tamen non adhæret illi sententia tamquam litterali, quin potius eam retractat libro II retractationum, capitulo VI. Citatur etiam Hieronymus

super Psalmum CIII et super Psalmum LXXVI, sed tamen ille liber, et expositio non est Hieronymi. Nostra autem sententia communiter docetur a patribus, et constat ex ipsa narratione Scripturæ, quæ in hoc primo capite Genesis historica est, et non debet diverti ad metaphoras, et improprias significationes, nisi evidenter ex ipso textu constet: alias nihil certum, et firmum nobis Scriptura narraret. Quid enim apparentiæ habet nobis nominare aquas, et velle intelligere Angelos, vel spirituales substantias?

XVI. Ex eodem principio colligitur, neque etiam intelligi nomine aquarum aliquid de natura corporis cœlestis, quia corpus cœleste non potest vocari aqua nisi metaphoriçe, et improprie. Et sic tam incertam historiam narraret nobis Scriptura nomine aquarum intelligendo cœlos, quam intelligendo Angelos. Quando autem D. Thomas in hac quæstione articulo secundo dicit quod si per firmamentum intelligatur cælum sidereum, tunc illæ aquæ supra firmamentum non erunt de natura elementarium aquarum, sed dicetur illud cælum aqueum propter solam diaphaneitatem, loquitur conditionate, non absolute in sua sententia. Si enim firmamentum illud factum secunda die esset cælum sidereum, non dubitarem dicere, quod illud quod est supra tale firmamentum non est corpus aliquod elementale, seu aqua elementalis, quia hæc contra suam naturam poneretur supra cœlos. Unde cogemur divertere ad metaphoram, et intelligere aquas cœlestes, non elementares. Aquæ autem cœlestes nullo meliori modo explicari possunt, quam dicendo esse cælum crystallinum, seu carens omni stella, quod est nona sphaera, et decima.

XVII. Hoc supposito restat deter-

minare, quæ sint illæ aquæ quæ manserunt super firmamentum, et quæ sub firmamento? Respondetur, aquas supra firmamentum esse aquas vaporabiles, seu vapores qui condensantur in nubes: aquæ vero quæ sunt sub firmamento, sunt æquæ ordinariæ, et fluidæ quibus utimur. Ita D. Thomas in hac quæstione, articulo secundo in corpore, et ad primum. Et sequuntur omnes qui tenent sententiam supra a nobis probatam, quod nomine firmamenti intelligitur cælum aereum. Ratio vero est manifesta, quia supra aerem non possunt esse aquæ spissæ, et condensatæ, sed tenues, et evaporatæ: aquæ enim condensatæ, statim decidunt, ut manifeste videmus quando resolvitur pluvia, ergo aquæ illæ quæ sunt supra tale firmamentum aereum, sunt vapores, qui ibi condensantur in nubes, et expanduntur tamquam cælum, ibique continentur, seu firmantur, et propter hoc dicitur firmamentum, quia firmat aquas vaporabiles; et quia se habet tamquam terminus, usque ad quem sol elevat vapores, et ibi sistunt, sicque dicitur dividere aquas aquis, quia est terminus usque ad quem perveniunt aquæ vaporabiles divisæ, et elevatæ a sole ex nostris aquis.

XVIII. Dices: Non posse hoc stare cum textu Scripturæ, quia dicit firmamentum factum esse in medio aquarum: illæ autem aquæ inter quas factum est firmamentum, erant aquæ elementales, et fluidæ, nulla autem pars illarum erat vapor, quia antequam esset factum firmamentum, nullæ aquæ erant evaporatæ, ergo quando factum est firmamentum in medio talium aquarum, illæ quæ manserunt super firmamentum non potuerunt esse vapores, sed illæmet aquæ quæ antea erant in illo loco, et erant aquæ fluidæ elementales. Secundo, quia aquæ vapora-

biles non sunt super firmamentum, sed in ipso, si quidem firmamentum, ut postea dicemus, est secunda regio aeris, seu spatium illud in quo nubes addensantur: supra tale autem spatium non sunt nubes, quia supra secundam regionem aeris propter caliditatem ejus, non possunt vapores condensari, ergo nubes, seu aquæ vaporabiles non sunt super firmamentum. Tertio, quia non est verisimile illa secunda die elevatos esse vapores, quia illa elevatio fit virtute solis, qui non videtur usque ad quartam diem hanc virtutem accepisse, sed solum vim illuminandi: tum etiam quia capite secundo dicitur: *Quod nondum pluerat Deus super terram*; ergo secunda die non est facta pluvia, neque nubes condensatæ, quia quamdiu non resolvuntur in pluviam, non sunt aqua, sed aliquid ab aqua distinctum, ergo non verificatur in tota proprietate, quod in illa die per firmamentum divisit Deus aquas ab aquis.

XIX. Respondetur ad primum, quod firmamentum dicitur factum in medio aquarum, non quia retinuit aquas illas supra se in eo statu et qualitate qua sunt apud nos, scilicet crassiores, et fluidas, sic enim non possent contineri in aere, neque ad hoc recepit firmitatem, cum potius videamus, quod hoc ipso quod nubes resolvuntur, cadit aqua, non detinetur. Intelligitur ergo firmamentum factum in medio aquarum, quia in illo loco ubi erant aquæ, seu ad quem perveniebant aquæ, incœpit esse aer, et aquæ incœperunt deprimi usque ad terram, vel circa: et ille locus aeris qui incœpit esse ubi ante erant aquæ, incœpit habere vim, et firmitatem ad retinendum, et condensandum vapores, et de facto reliquos retinuit, ut statim dicemus, et sic divisæ sunt aquæ vaporabiles, non quæ antea erant, sed

quæ tunc factæ sunt manentes in secunda regione aeris ab aquis fluentibus, et manentibus circa terram. Qua ratione potest intelligi illud Job xxxviii : *Quando erumpebat mare quasi de vulva procedens, cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantia obvolverem*, quia videlicet depressa aqua sub aere, manserunt nubes in secunda regione quasi involventes aquas inferiores.

XX. Pro quo notandum est, quod quando prima die aquæ obtinebant partem hanc inferiorem, videtur earum altitudo pervenisse usque ad tertiam aeris regionem exclusive; erat enim totum hoc spatium naturalis locus aquæ super terram, tum quia quando tertia die aquæ congregatæ sunt in unum, facta est concavitas terræ ita profunda, quod in aliquibus locis non invenitur fundum, ut modo experientia testatur, ut dicemus sequenti quæstione, et est altior quocumque monte perveniente ad secundam, vel tertiam aeris regionem, ergo quando aqua existebat super terram non habentem talem concavitatem, ejus profunditas debebat pervenire usque ad totam secundam aeris regionem: tum secundo, quia quando factum est diluvium, aqua pervenit usque ad tertiam aeris regionem, si quidem dicit Scriptura : *Quod operuit aqua omnes montes excelsos qui sub cælo sunt*: constat autem multos esse montes qui excedunt regionem nubium, ut olympus, et alii: ergo naturalis locus aquæ competenter pervenit usque ad tertiam aeris regionem, et in hoc spatio videntur creatæ aquæ a Deo prima die. Cum ergo secunda die Deus fecit firmamentum in medio aquarum, manifestum est, quod secundam aeris regionem pro nubibus in eo loco posuit ubi erant aquæ, quia istæ ultra regionem quæ nunc est nubium, as-

cendebant; et hoc est facere illud in medio aquarum, id est, ubi aquæ erant, quia videlicet aer superior incœpit diffundi ad locum ubi erant aquæ, ipsis aquis recedentibus ad inferiorem locum. Et aer ille subintrante loco aquæ accepit in secunda regione virtutem firmandi aquas vaporabiles; sicut etiam tempore diluvii quando aquæ illæ ita inundaverunt in toto mundo, clarum est quod expulerunt aerem ab omni loco quo perveniebant aquæ: deinceps vero cum inciperent aquæ recedere, et exsiccari terra, incœpit aer superior diffundi, et intrare loco aquæ tam in secunda regione, quam in ista infima. Hac ergo ratione manserunt aquæ supra firmamentum, non quidem aquæ fluidæ, et densæ, sed aquæ vaporabiles, seu nubes, recedentibus aliis aquis ad inferiorem locum, et subintrante aere loco illarum.

XXI. Ad secundum respondetur, recte dici aquas esse super firmamentum, non quia sint supra totam latitudinem, et altitudinem illius spatii quod vocamus secundam regionem aeris, sed saltem supra aliquam partem illius, quia ubi incipit secunda regio aeris, incipiunt condensari vapores, et conglomerantur nubes una super aliam, et sic dicuntur esse aquæ super firmamentum, quia est super primam partem continentem, et condensantem nubes: sicut si dicamus aquam esse super poculum, quia est super primam superficiem illius.

XXII. Ad tertium dicitur, nullum esse inconveniens, quod in secunda die, quando divisæ sunt aquæ super firmamentum ab his quæ erant sub firmamento, quod Deus ipsa divisione evaporaverit aquas, et condensaverit in nubes; quod factum est principaliter imperio Dei, juxta illud Amos v : *Qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, et*

Hieremiæ li : *Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cælo*: licet etiam concurrere potuit lux, et virtus solis, quæ licet in hac die non esset ita efficax, et formata sicut in quarta, aliquantulum tamen jam poterat operari saltem imper fecte. An vero tunc statim illæ nubes fuerint in aquam resolutæ, et pluvia fuerit facta, non est necesse pro verificatione verborum Scripturæ, quia aquæ contentæ super firmamentum, non sunt aquæ resolutæ, sed evaporatæ; nam quando resolvuntur, statim decidunt, et non manent super firmamentum. Intelliguntur ergo aquæ super firmamentum nubes, et non pluvia: et sic verificari potuit etiam sexta die, quod nondum pluerat Dominus super terram: licet sic secunda die plueret etiam non super terram, sed super mare pluisset; quod quasi nubibus, et caligine obvolutum est illa die ut dicitur Job xxxviii.

XXIII. Secundo inquires, quid sit illud firmamentum factum secunda die, et an sit factum quoad substantiam illius corporis, an solum quoad aliquod accidens. Respondetur, firmamentum illud esse aerem non de novo tunc creatum quoad substantiam, sed tunc de novo diffusum ad locum secundæ regionis, ubi antea erant aquæ, et de novo accepit virtutem ad retinendum vapores, et condensandum in nubes, et paulatim resolvendum ne simul decidat tota pluvia et hoc modo dicitur divisisse Deum inter aquas et aquas, quia est secunda illa regio quasi terminus et limes, quo perveniunt aquæ vaporabiles, divisæ, et elevatæ ab aquis fluentibus.

Explicantur singulæ partes hujus respensionis. Primo, dicimus hoc firmamentum esse aerem, quia probatum est supra non esse aliquod corpus cœleste, ergo est elementale:

non terra, neque aqua existens in mari, quia neutrum istorum vocatur cœlum cum sit inferius, neque dividit aquas ab aquis, quia potius continet aquas inferiores, a quibus divisæ sunt superiores. Dicit autem Scriptura, quod firmamentum factum secunda die est illud, quod vocatum est cœlum, et quod dividit aquas ab aquis, ergo non est elementum terræ, neque aquæ. Neque etiam est elementum ignis, quia nullæ aquæ, seu vapores elevantur supra elementum ignis, imo neque ad tertiam aeris regionem, tum propter magnam illius caliditatem, et raritatem, quæ omnes vapores consumeret nec posset condensare, tum propter experientiam, quia altissimi montes qui transcendunt nubes, et adhuc non perveniunt ad spheram ignis, nullum vaporem, aut aquam in se continent, aut condensare possunt. Ergo illud firmamentum debet esse aer.

XXIV. Secundo, dicimus illum aerem non esse de novo creatum quoad substantiam; contra quod aliqui sentiunt existimantes primo die totum spatium a terra usque ad lunam non fuisse plenum elementis, sed quadam nebulosa materia, seu vapore medio inter aerem, et aquam ex quo dicunt factum esse aerem, et ignem secunda die. Sed omnino falluntur, quia Scriptura dicit primo die fuisse aquas, super quas ferebatur spiritus Dei: nomine autem aquæ intelligitur vera natura aquæ, et elementum, non vapor, neque nebula, ergo falsum est dicere, quod totum illud spatium repletum erat nebula, seu vapore, sed verum elementum aquæ dabatur primo die. Eadem autem ratione dabatur elementum aeris, et ignis, quia quæ ratione duo elementa terra et aqua facta sunt per creationem, similiter et alia duo, quia etiam sunt corpora simplicia, et multo perfectiora, et